



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio secunda. Vtrum sit soli Deo exhibenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

immediato obiecto, vt patet de Fide, spe, & Chritate. Per Fidem enim immediatē credimus Deum, vel in Deum. Per Spem semper speramus in ipsum. Per Charitatem diligimus ipsum. Sed latria nō habet deum pro immediato obiecto, quāuis habeat ipsum pro fine, obiectum enim latriæ est obsequium quod Deo exhibetur, & nō ipse Deus, ergo latria non est virtus theologica. veruntamen quia virtus cuius actus est immediatē circa finē, imperat virtutibus quæ ordinantur ad finē (quia ex fine sumitur ratio eorum quæ sunt ad finem) ideo virtutes theologice quæ habent finem (scilicet Deum) pro obiecto imperat actus latriæ quæ est de his quæ ordinantur ad Deum sicut ad finem: & sic loquitur beatus Aug. in Enchiridio dicens, quod Deus colitur Fide, Spe, & Charitate.

9 Tertium patet, scilicet quod inter virtutes morales reducit ad iustitiā, quia omnis virtus moralis quæ ordinat hominē ad alterum in ratione debiti pertinet ad iustitiā, sed latria ordinat hominē ad Deum in ratione debiti, quia per eam exhibetur cultus Deo debitus, ergo latria pertinet ad iustitiā. Maior patet, quia nulla virtus moralis præter iustitiā ordinat hominē ad alterum, sed ad seipsum tantum, vt temperantia, aut si ordinat vt forte libera liras non tamen in ratione debiti, illud enim quod dat liberalis nō redditur ex debito, sed confertur ex gratia, alioquin nō esset liberalis donatio, sola enim iustitiā respicit debitum. Minor de se patet. Sequitur ergo conclusio quod latria reducit ad virtutem iustitiæ.

10 Aduertendum est tamen quod sicut iustitiā simpliciter & propriē dicta nō est inter dominum & seruū, patrē & filium, vt habetur 3. Ethic. sed solū inter illos qui sunt nati regulari eadem lege, esse sub eodem principe, qui secundū legem constituit æqualitatē inter eos, sic latria quæ est hominis ad deum sicut serui ad dominum, nō est propriē iustitiā, sed secundum quādam similitudinē secundum quod seruus reddit pro possibilitate quod debet domino, licet nō reddat æquale. & sic loquitur Philosophus 7. Ethic. vbi dicit quod nō in omnibus reddendum est quod est secundū dignitatem, hoc est æquale, quia in his quæ ad deos & parentes sunt honoribus, nullus aliquando secundum dignitatem tribuit, secundum potentiam autem famulans iustus esse videtur, vnde in talibus non est iustitiā simpliciter, sed iustum dominatum seu paternum.

11 Ad primum arg. dicendum, quod latria non est virtus intellectualis, nec theologica, sed moralis, & cum dicitur quod non, quia nō ponit medium inter superfluum & diminutum. Dicendum quod imō, sed superfluum & diminutum nō semper accipiuntur secundum quantitatem rei, cum magnanimitas sit circa maximos honores, & magnificentia circa maximos sumptus, sed accipiuntur in cōparatione ad rationem rectā, vt fiat sicut debet fieri, quātum ad omnes circumstantias, & sic in colendo deum potest esse superfluum, nō secundum quātitatem rei quasi plus deo exhibetur quod ei debetur, sed quia tantus cultus potest exhiberi quod esset contra rationem ex parte facientis: quia esset corruptius subiecti, puta excessiuum ieiunium, vel vigilię vel quodcūque aliud tale, contra quod dicit Apost. Ro. 12. Rationabile sit obsequium vestrū. Et similiter potest esse secundum alias circumstantias.

12 Ad secundū dicendū, quod de dictamine rationis naturalis est, quod homo faciat aliqua ad reuerentiā diuinā, & alia exhibeat in recognitionē seruitutis deo debita, sicut feudarius reddit aliquid domino suo in recognitionem dominū sui. Et istud pertinet ad virtutē latrię, determinate autem illa quæ debemus deo exhibere nō est de dictamine rationis naturalis, sed de institutione iuris diuini vel humani, quibus determinatis latria virtus eis pro materia.

QUESTIO SECUNDA. Vtrum latria sit soli Deo exhibenda.

Thom. 3. q. 25. c. 2. 2. q. 84.

Secundo queritur vtrum latria sit soli deo exhibenda. Et arguitur quod non, quia nō minor honor debetur patri quam filio, sed æqualis vel maior, cum secundum præceptū dominicum filius teneatur honorare matrem, & nō econuerso: sed beata Virgo est mater Dei, ergo sibi debetur æqualis honor latriæ sicut Deo.

Item caro Christi nec est Deus, nec deitas, & tamen

adoratur adoratione latriæ secundum Dam. lib. 3. c. 8. vbi dicit sic, vnus est Christus, Deus perfectus, & homo perfectus quem adoramus cū patre & filio, & sancto spiritu vna adoratione, cū in cōaminata carne eius, ergo honor latriæ debetur carni Christi, & non solum deitati.

3 Item illud adoratur adoratione latrię, in quo ponitur spes salutis, sed in cruce ponitur spes salutis cum canet ecclesia, O crux aux spes vnica, ergo ipsa adoratur adoratione latrię.

4 Item secundum Basiliū honor imaginis refertur ad prothotypum, hoc est, exemplar, sed Christus adoratur adoratione latriæ, ergo & imago Christi, sed imago Christi nō est imago dei inquantum Deus, quia nulla est imago dei, secundum deitatem, ergo non soli Deo debetur latria.

5 IN CONTRARIUM arguitur, quia latria debetur creatori ratione creationis, sed solus Deus ratione diuinitatis est creator, ergo soli deo ratione diuinitatis debetur latria.

6 RESPONSIO. Circa quæstionē istam videnda sunt duo. Primo videndū est, cui exhibenda sit latria, secundum quæ, quibus actibus sit exhibenda.

7 Quantum ad primum sciendū quod honor latriæ, vel cuiuscūque alterius reuerentię potest exhiberi alicui dupliciter, scilicet per se, & per accidens. Per se exhibetur illi in quo est causa talis honoris, per accidens autē exhibetur, in quo non est causa talis honoris, sed habet aliquā habitudinē ad illud, in quo est causa. In eo etiam cui debetur honor per se, est duo considerare, scilicet illum cui honor debetur, & causam honoris, ille cui honor debetur est suppositum subsistens. Propriē enim & per se honor debetur rei subsistenti, & nō parti. Non enim dicimus quod pes papę, vel manus episcopi dñi a quoquā ofculantur, honorantur, sed papa vel episcopus in huiusmodi partibus. Per quæ etiā modum aliquis potest honorari in aliquo exteriori, pura in veste, vel imagine, vel in nūcio. Causa enī honoris est illud ex quo ille qui honoratur habet aliquam excellentiam personę. His suppositis dicendum est quod honor latrię debetur per se soli deo ratione diuinitatis, per accidens autem debetur aliis. Primum patet, quia illi per se debetur aliquis honor, in quo est per se causa illius honoris, sed in solo Deo ratione deitatis est per se causa honoris latrię, ergo solus Deus ratione deitatis est honore latrię honorandus. Maior patet ex dictis. Minor similiter manifesta est, quia honor latrię debetur creatori iure creationis, create autem cōpetit deo ratione diuinitatis, quare &c. Secundū patet, quod solus debetur honor latrię per accidens. Sed aduertendum est, primo quod aliquis potest habere habitudinē ad deum cui per se debetur honor latrię dupliciter. Vno modo, quia incidit in idem, secundum suppositum, sicut est humanitas Christi. Alio modo, quia nō tendit in idem, secundum suppositū, sed habet solam habitudinē extrinsecam ad Christū vt matrem, crux & imago. Primo modo adoratur humanitas Christi per accidens adoratione latrię, quia quando suppositū per se honoratur, honoratur per accidens quicquid est in supposito. Sed filius Dei adoratur adoratione latrię per se, ergo humanitas Christi per accidens honoratur eadē ratione. Dico autem per accidens, quia nec ipsa humanitas est propriē illud quod adoratur cū nō sit suppositū subsistens, nec est causa seu ratio talis adorationis quāuis sit causa cuiusdā alterius adorationis, scilicet hyperdulie quæ debetur Christo ratione humanitatis nature, de qua postea dicetur.

8 De illis autē quæ habent solam extrinsecam habitudinē ad deum hoc generaliter tenendū est, quod si confiderentur secundum se, sic aut eis nō debetur aliquis honor puta cruci vel imagini, & ceteris rebus inanimatis. Aut si debetur (sicut beate Virgini) nunquā tamen debetur eis honor latrię, cuius ratio est, quia honor latrię debetur soli excellentiæ diuine, sed talia secundum se cōsiderata, aut nullā excellentiā habent vt inanimata, aut si habēt, illa tamen est infra excellentiā diuinā, quare isto modo nō debetur eis honor latrię. Si autē considerentur secundum habitudinē quam habent ad deū, sic dicitur cōmuniter quod debetur eis idem honor qui & deo, quia sicut dicit Philo. lib. de memoria & reminiscētia, duplex est motus anime in imaginē, vnus secundū quod ipsa est quedā res. Alius

Th. 3. q. 25.
ar. 3. in corp.

Alius in quantum ipsa est imago. Primus motus in imaginem alius est a motu qui est in re, sed secundus qui est in imaginem in quantum est imago idem est cum motu qui est in re imaginatam. Et similiter ut dicunt reuerentia quae deferretur imagini in quantum imago est, deferretur rei cuius est imago, ut sic fit vna reuerentia quae debetur imagini & exemplari.

9 Sed istud non videtur proprie dictum, quia quantum cum sit vnus & idem motus animae quo fertur in imaginem, ut imago est, & in rem, nunquam tamen anima dicit imaginem in quantum est imago esse idem cum exemplari, neque signum in quantum signum esse idem cum signato, sed semper inter ista est distinctio in re, & in conceptione animae, habitudo enim eorum ad inuicem est relatiua, relatiui autem esse est ad aliud esse, & ideo quod attribuitur exemplari vel signato, nunquam est attribuendum imagini, vel signo quantumcumque consideretur sub ratione imaginis vel signi. Propter quod proprie loquendo nunquam reuerentia exemplaris, vel signati debetur signo, vel imagini.

10 Sed quid loquendum est ut plures, ideo commune dictum sic exponendum est, quod pro tanto dicitur imago sub ratione imaginis adorari eadem adoratione cum re cuius est imago, quia ad praesentiam imaginis sui signi fit reuerentia rei quae reuerentia adoramus eadem adoratione ac si praesens esset in se, & pro tanto concedi potest quod signa & imagines adorantur eadem adoratione cum rebus signatis, & imaginatis, quia res ut cognita per signa, & imagines similibi modo adorantur, ac si essent praesentes secundum se. Et quod dictum est de signo, vel de imagine, intelligendum est de omnibus aliis quae habent solum habitudinem extrinsecam ad deum, quia ratioe talis habitudinis seu relationis nullo modo debetur eis honor diuinus qui est honor patrie, & sic patet primū. s. quibus fit latria exhibenda.

11 Quantum ad secundum scilicet per quos actus debet exhiberi. Dicendum est quod tribus actibus. scilicet actu animae & actu corporis, & exhibitione rerum exteriorum. Cuius ratio est, quia per latriam exhibemus reuerentiam deo in recognitione vniuersalis dominii quae creauit nos, igitur secundum omnia quae habemus a deo debemus ei exhibere cultum patrie, sed a deo creatore habemus quicquid simpliciter est in nobis, bona animae, bona corporis & bona exteriora, propter quod secundum haec omnia debemus ei reuerentiam exhibere, hoc autem fit quando secundum animam vel secundum spiritum exhibemus ei debitam dilectionem, secundum corpus prostrationes & cantus, secundum autem exteriora oblationes, & luminaria, & huiusmodi quae Deo exhibemus non propter eius indigentiam, sed propter recognitionem quod omnia ab ipso habemus, & secundum haec tria nominatur latria tribus nominibus. Dicitur enim pietas quantum ad interiorum affectum deuotionis & dilectionis, dicitur etiam theosebeia. i. diuinus cultus vel eusebia, id est, bonus cultus quantum ad attentionem quam ad hoc habere debemus, illud enim coli dicitur cui studiōse intenditur. Dicitur etiam religio quantum ad determinationem operum quae in cultu dei exhibentur, latria autem generali nomine solum importat feruitutem qua Deo obligamur iure creationis.

12 Ad primum arg. dicendum est quod vbi mater & filius includit precise eandem naturam specificam, maiorem honorem quantum ad hoc debet filius matri quae mater filio, quia mater se habet ad filium, ut principium, & sic excellentius habet naturam quam filius. Dico autem quantum ad hoc, quia alia excellentia posset esse in filio puta, quia esset papa vel episcopus ratione cuius etiam mater teneretur ad tantam vel maiorem reuerentiam exhibendam filio sicut econuerso, extraneae autem personae ab utroque, non tenentur semper plus honorare matrem quam filium, sed illum plus in quo est maior excellentia. Modo ad propositum de Christi matre constat quod ipsa non fuit precise eiusdem naturae cum Christo filio cum ipsa sit pura creatura, filius autem deus & homo, vnde sicut ipsa fuit mater Christi quoad humanam naturam, sic ipsa fuit filia eius iure creationis ratione diuinae naturae in filio, & quia perfectior ratio principii est in creatore qui totum producit in genere, qui aliquid supponit, ideo plus tenetur B. Virgo honorare filium (quia deus est) quam filius (quatenus homo) tenetur honorare

ipsam, & si mater tenetur ad hoc fortiori ratione & nos. Alio ergo honore debemus honorare filium quatenus deus est, scilicet honore patrie, & alio matrem quae est pura creatura, sed quia inter creaturas ipsa est excellentissima, ideo ipsi debetur sub honore patrie honor excellentissimus, scilicet honor hyperdulciae, id est, dulciae excellentis, de qua postea dicitur.

13 Ad secundum dicitur est quod humanitas Christi proprie non adoratur cum non sit res per se subsistens, nec est ratio per quam debeat adoratio patrie cum ratione eius Christo non competat esse creatorem. Adoratur tamen per accidens adorato supposito, & eadem adoratione qua supposita & sic loquitur Dam. Si autem humanitas Christi realiter esset separata a supposito filii & subsistens in proprio supposito sicut posuit prima opinio, sic nullo modo, nec per se, nec per accidens debetur ei adoratio patrie. Sed adoratio hyperdulciae. Sed istud est condennatum in synodis: dicitur enim in capitulis Cirilli, Si quis audeat dicere assumptum hominem coadorati oportere deo verbo, quasi alterum alteri & non magis vna adoratione honorificat Emanuel secundum quod factum est verbi caro, anathema sit. Si vero sola considerati de separaretur humanitas a supposito verbi, ita ut consideraretur non considerato supposito, sic si deberetur ei aliqua adoratio non esset adoratio patrie sed hyperdulciae, & sic loquitur glo. super illo verbo Psal. Adorate scabellum pedum eius quae dicit quod caro Christi non est adoranda adoratione patrie quae soli creatori debetur.

14 Ad tertium dicendum quod crux si consideretur secundum quod est res quaedam in se non debet adorari aliqua adoratione cum creaturae irrationali non debeat aliqua reuerentia, si autem consideretur in quantum signum sic dicitur communitur quauis improprie quod debet adorari adoratione eadem cum Christo crucifixum, qualiter autem debeat intelligi expositum fuit. Quidam autem distinguunt inter crucem, in qua Christus pendit & alias cruces, quia aliis crucibus non debetur aliqua reuerentia nisi ut signo, & ideo non sunt reuerendae nisi sint figuratae, quia aliter non habent rationem signi. Crux autem Christi propter hoc quod quando est figurata habet rationem signi, & non figurata habet secundum se quandam excellentiam eo modo quo fuit applicata secundum contactum membrum Christi, & ideo dicitur quod ei debetur duplex reuerentia, vna patrie quatenus signum quando est figuratum, & alia hyperdulciae, in quantum etiam in se non figurata habet quandam excellentiam & contactum membrum Christi. Sed istud non videtur, quia illud quod non potest esse subiectum susceptionis sanctitatis, vel virtutis non potest esse secundum se terminus adorationis, sed signum crucis in qua Christus pendit non est subiectum susceptionis sanctitatis & virtutis, ergo secundum se non potest esse terminus adorationis, nunquam ergo cruci Christi debetur aliquis honor, nisi in quantum reducit in remembrance Christi, quod facit figurata, vel signata. Alii autem hoc faciunt solum ratione figurae, & ideo illi idem qui primo tenuerunt illam responsum seu opinionem. Postea plenius considerantes correxerunt se, & tenuerunt secundum.

15 Ad quartum dicendum quod imago aut representat Christum secundum quod homo est, aut est facta ad representandum patrem vel spiritum sanctum quoad deitatem, sicut pinguntur quaedam imagines quarum vna representat Deum patrem, & alia filium crucifixum, & tertia spiritum sanctum, quasi columbam procedentem a patre in Christum. Primo modo debetur idem honor imagini, qui & Christo secundum intellectum tamen prius positum. Secundo autem modo fatum est imagines facere vel eas venerari: vnde Dam. dicit lib. 4. Quod insipientiae summum est & impietas figurare quod est diuinum, & si quis dicat quod spiritus sanctus in columba apparuit, & pater in veteri test. sub aliquibus corporalibus formis, & sic possunt per imagines representari. Dicendum quod illae formae corporales non fuerunt a patre, vel a spiritu sancto assumptae, & ideo representatio eorum per imagines non est representatio personae diuinae, sed representatio illius formae secundum se, propter quod non debetur ei aliqua reuerentia, sicut nec illis formis secundum se. Et si dicatur quod illae formae, & si non erant a personis diuinis assumptae erant tamen representatiue diuinarum personarum, & eodem modo, ut videtur possunt nunc fieri imagines diuinae

diuinas personas representates. Dicendum quod ille forme, in quibus dicuntur diuine personę apparuisse nō fuerunt formate ad representandum diuinas personas, sed ad representandum effectus quos personę diuine faciebant in rebus, sicut columba in qua Spi. san. apparuit super Christum baptizati significabat spirituale fecunditate quam Christus tactu suę carnis contulit aquis baptismi, & ideo nihil factum per modum imaginis ad representandum diuinas personas non incarnatas est adorandum.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum dulia distinguatur à latria.

DEINDE queritur de dulia, vtrum distinguatur à latria. Et videtur quod non, quia dicit Philosophus 8. Eth. Amari proximum est ei quod est honorari, sed eadem virtute diligitur Deus & proximus, scilicet charitate. Ergo eadem virtute adorandus est Deus & proximus, sed latria debetur Deo, dulia proximo, Ergo latria & dulia sunt idem.

2 Item Deo debetur vnus honor, sed tam latria q̄ dulia debetur Deo, ergo vnus honor latrię & dulię. Minor probatur, quia super illud Psal. Domine Deus meus in te speraui, dicit Glossa. Domine omnium per potentiam cui debetur dulia, Deus omnium per creationem cui debetur latria.

3 IN Contrarium est quod dicit Aug. 10. de ciuit. dei Quod alia est seruitus quę debetur hominibus secundum quam precepit Apostol. Dominis suis seruos subditos esse, quę Gręce dulia dicitur, alia verò latria quę dicitur seruitus pertinet ad colendum Deum.

4 **R**ESPONSIO. Videnda sunt duo. Prō qualiter se habeat dulia ad latriam, & secundo cui sit exhibenda.

5 Quantum ad primum sciendum est q̄ dulia accipitur tripliciter. sc̄. cōmuniter, proprię & appropriatę, cōmuniter accipitur pro virtute secundum quā exhibetur reuerentia cuiusq̄; ratione cuiusq̄; excellentię, & sic continet sub se latriam, & om̄ virtutem secundum quā exhibetur cuiusq̄; hominum reuerentia. Proprię verò dicitur virtus secundum quā seruis exhibet reuerentiam domino: vnde dulia de nomine suo est idem quod seruitus & sic adhuc sub se cōtinet latriam quę est seruitus impensa Deo, & omnem virtutem per quam inter homines serui dominos suos venerantur, & quia illa virtus per quā serui dominos suos temporales venerantur nō habet proprium nomen sicut seruitus quę deo impenditur, & latria vocatur, ideo tertio nomē dulię trahitur, & quodammodo appropriatur ad honorem qui exhibetur creaturę ratione dominij, & sic apparet q̄ dulia appropriatę dicitur virtus per quā inter homines serui dominos suos venerantur. Primo ergo modo accipiendo duliā, patet q̄ non diuiditur contra latriam, nec est penitus cum ipsa idem, cuius ratio est, quia virtuosius non diuiditur contra inferius, nec est conuertibiliter idem cum ipso: vt apparet de animali respectu hominis, sed dulia primo modo accepta est superioris, & est quasi genus ad latriam & virtutem omnē per quam exhibetur reuerentia cuiusq̄; homini ratione vniuscuiusq̄; excellentię: ergo dulia sic accepta nō distinguitur cōtra latriam, nec est conuertibiliter eadem cum ipsa. Si autem dulia secundo modo accepta sit, adhuc non distinguitur cōtra latriam, nec est cōuertibiliter idem cum ipsa per eandem rationem quę facta est.

6 Si autē accipiatur tertio modo, sic est virtus specie distincta à latria, quod patet sic, vbi est formaliter alia ratio debiti, ibi est formaliter alia virtus, cuius est reddere debitum, sed alia ratio debiti formaliter est in nobis respectu dei, & in vno homine respectu alterius, ergo alia est latria quę respicit debitū seruitutis quo tenemur Deo, & alia est dulia quę respicit debitum seruitutis quo tenetur homo homini tanq̄ seruus suo domino. Maior patet, quia secundum formales rationes obiectoriū fit specifica distinctio habitū. Minor declaratur, quia sicut alia ratione cōpetit dominium Deo respectu omnium hominum, & vni homini respectu alterius, eo quod Deus est plenarię & perfectę, & quoad totum dominus, quia totum est ab ipso, homo autem super hominem non potest habere plenum & perfectum dominium quoad totum, sed habet quandam participationem dominij, sic in nobis est formaliter aliud debitum seruitutis quo obligamur Deo, &

aliud quo obligat seruus dño tēporali, & sic patet primū.

7 Quantum ad secundū sciendum q̄ si dulia accipitur tertio modo, sc̄. appropriatę, sic nō est exhibenda: nisi his qui habent super aliquos dominium, & quibus subditi sumus, ideo non omnib. exhibenda est dulia sic accepta, sumus autem sic subditi Christo secundum q̄ est homine iure redemptionis factę per ipsum multo plus q̄ quicumq̄ seruis subdatur domino tēporali. Et ideo Christo secundum q̄ est homo debetur honor dulię excellentioris q̄ debeat cuiusq̄; domino tēporali, & vocatur hyperdulia quasi excellens dulia, & sic quauis Christus sit vnum suppositū in duplici natura, ipsi debetur duplex honor ratione duplicis excellentię quā habet secundum duplicem naturam, honor latrię secundum excellentiā diuinę naturę, & honor hyperdulię secundum excellentiam humanę naturę: beate autem Virgini, & aliis sanctis non videtur q̄ debetur dulia sic accepta, quia proprię nō eis subduntur iure seruitutis, si autem accipitur dulia secundo modo, sic debetur Christo secundum diuinā naturam, & humanā, quia dulia secundo modo accepta cōtinet sub se latriam quę debetur Christo ratione diuinę naturę, & duliā appropriatę sumptā quę debetur eidem excellenter ratione humanę naturę, debetur etiā dominis tēporalibus ratione dulię appropriatę, quę cōtinetur sub dulia secundo modo sumptā. Aliis verò non debetur, nec ratione latrię quę soli deo exhibenda est, nec ratione dulię appropriatę quę non debetur nisi a seruis.

8 Si autē accipitur primo modo, prout dicit virtutē quamcumq̄; per quā exhibetur reuerentia cuiusq̄; personę ratione cuiusq̄; excellentię, sic dulia debetur deo, & omni rationali creaturę habenti in se excellentiā virtutis, vel status ordinati ad virtutem: sicut est prelatio, vel autoritas cuiusq̄; regiminis. Et quia talis excellentia non est vnus speciei in omnibus, secundum enim aliam rationē preest patet filio, magister discipulo, dux militi, prelatiō subdito, ideo reuerentia dulię quę talibus exhibetur nō est vnus rationis, sed pluriū, inter oēs tamē quę debentur pure creaturę illa est excellentior quę debetur beate Virgini matri Christi, & vocatur hyperdulia. Inter alias autē excellentior debetur prelatiō, vel rectori, quamuis malo q̄ priuati personę, quāuis bonę, propter tria. Primum, quia rector vel prelatiō gerit vicem domini, secundū illud Ro. 11. Qui potestati resistit, ordinationi dei resistit. Secūdo, quia princeps vel prelatiō est persona publica, & ideo in ipso honoratur bonitas ecclesię, vel Reip. quę est maior q̄ bonitas singularis personę. Tertio, quia regnum vel prelatiō ordinatur ad virtutem sicut causa effectiua, & conseruatiua virtutis, dignius est autē causam virtutis aliis existere q̄ virtuosum esse: vt dicitur 8. Eth. Priuata persona si non sit actu virtuosa non est proprię honoranda, si autem non sit virtuosa nec actu nec aptitudine, vt damnati tam homines quā demones nullo modo debentur eis honor & per eandem rationem creatura irrationalis non est honoranda, quia non est capax virtutis, & naturaliter est homini subdita.

9 Ad primum argumentū dicendum q̄ nō est alia formalis ratio quā attendit charitas in deo, & in proximo, sed vna & eadē, quia per charitatē diligitur deus propter se ipsum, & proximus solū propter deum, vbi autem vnum propter alterū vtrubiq̄; est tantum vnum, propter quod vna est charitas per quā diligitur deus, & proximus. Amicitia autē per quā diligitur proximus propter aliquā aliā rationē q̄ propter relationē quā habet ad deum differt à charitate secundū speciem, honor autē exhibetur secundum rationē excellentię, quę inuenitur in aliqua persona, & quia excellentia est in diuersis alterius & alterius rationis maximē in deo & creaturis, ideo alterius rationis est honor deo exhibitus & creaturis.

10 Ad secundū dicendū q̄ Christo nō solū debetur vnus honor, sed duplex ratione duplicis excellentię quā habet secundum duplicem naturā, & etiā Deus secundum diuinam naturā attribuitur dulia & latria, latria ratione creationis, dulia ratione potentię, sed tunc dulia nō accipitur, vt distincta contra latriam, sed vt aliquid superius ad latriam & duliā appropriatam, quia enim dulia appropriata, & latria debentur alicui ratione dominij, dominus autem